tempus eis per quemlibet Epiſcopum prefigendum per facti e
uidenciam regularem vitam ſecundum profeſſionem ipſorum ſeruare
inceperint et continuauerint quod tunc poſt lapſum termini
eos tales inidoneos minus probate vite ad audienciam
confeſſionum predicaciones et peticiones ac alios actus legit
timos non admittat Epiſcopi eciam non paciantur fratres in ter
minis longiores moras trahere ſed operam dent vt petici
one peracta ad ſuos conuentus redeant Niſi eos in audiendis
confeſſionibus et predicacione verbi dei diucius morari in aliquo
loco iudicauerint

Item ſtatuimus et ordinamus quod viſitaciones fiant prout de
Jure precipitur Et ſi ordinarij in viſitacionibus ſuarum dioceſi
um vel alias reperiant concurſum populi ad aliquas ymagi
nes cognouerintque informacione ſumaria recepta populum am
plius ad diſpoſicionem figure huiuſmodi ymaginis quam ſalua
fide expediat inclinari quod tunc ymaginem tollant et alias omni
no prouideant ne ydolatria committatur Similiter ſi hoſtia
transformatur in cruentam carnem ſeu in ſanguine appareret
occultetur penitus et omnino iuxta tradicionem Juris nec po
pulo quomodolibet publicetur ſeu oſtendatur ne ſeducatur Et
queſtuarius circuiens populo prohibeatur

Item in maiorem honorem ſanctiſſimi ſacramenti ſtatuimus
quod deinceps corpus ſanctiſſimi ſacramenti nullatenus viſi
biliter in quibuſcumque monſtrancijs ponatur aut deferatur
niſi in ſacratiſſimo feſto corporis christi cum ſuis octauis ſemel in
anno in qualibet ciuitate aut Opido ſeu parochia vel ex ſin
gulari indulto ordinarij aut aliis pro pace vel alia neceſſitate
imminente ac indiſpoſicione rempublicam grauante et tunc
cum ſumma reuerencia atque deuocione In premiſſis tamen lauda
bilibus conſuetudinibus huius metropolitane et Cathedralium
eccleſiarum ſuffraganeorum eiuſdem ſemper ſaluis

Item cum natura cotidie nouas deproperat edere formas et omnia
ſubiacent mutacioni reſeruamus prouinciali ſynodo proxime
et ſequentibus liberam et abſolutam poteſtatem ſuperius ſtatu